I/123 ~~115~~

S. Miramur omnes mi Vadiane pariter quid causae tam diu te remo-
retur ab adventu, quem pollicitus es, quemque adeo desyderanter expe-
ctamus. Quotiescumque congredimur Parentes illorum, quorum Vien-
nae tu egisti Praeceptorem, Conradus item noster et ego, primus sermo
est de Vadiani adventu. Sequitur mox stupor, cum nullus potest
coniectare causam istius morae. Videris profecto magnam nobis
facere iniuriam, qui ita nos premis immeritos. Cogito equidem, quod te oble-
ctet patria, quod vix deseras amicos. Invenies et hic patriam, in-
venies et amicos, quos ad faciem cognitos habere tibi mirum erit iucundissi-
mum. De me nihil dico, verum de aliis, quos non paucos apud nos
reperies. Quamobrem te oro atque obsecro, ne diutius maneas (si
fieri aliter nequeat) vel nos nimium reddes etiam expectando fes-
sos. Postquam huc adveneris, de munere tuo tam praeclaro agam gratias.
De Xilotecto scribenda essent multa, sed omnia reservo, usque
dum praesentem te habeo. Valeat diu praestantia tua. Raptim
ex Tiguro decimo Kal. Augusti Anno XVIII.

Myconius tuus.

Viro eximio Ioachimo Vadiano
Phro. Medico, Poetae, & Oratori
obseruando amico suo.

Farbkarte #13 B.I.G.
Inches Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black